

Sed contra hoc non est necesse aliam rationem urgere quam ipsam D. Thomæ : nam quidquid hominem ordinat ad salutem, totum comprehenditur sub effectu prædestinationis, etiam ipsa præparatio ad gratiam. Cujus ratio est quia totum hoc, scilicet quidquid ordinat hominem in salutem, fit per auxilium divinum, ut patet ex illo Threnorum ultimo : *Converte nos Domine ad te, et convertemur*, auxilium autem divinum ordinans in salutem est effectus providentiæ ordinantis in vitam æternam, quæ est ipsa prædestinationis : ergo totum quod ordinat hominem in salutem est effectus prædestinationis. Rursus illud opus ordinis naturalis quod est motivum dandi gratiam, vel est ordinans hominem in salutem, vel non. Si non ordinat in salutem, neque ordinat in gratiam prædestinationis, quia gratia ista Dei est vita æterna, et est salus : *Gratia enim Dei salvati estis*, inquit Apostolus ; et si non ordinat in gratiam, non est Deo motivum dandi gratiam, quia connexionem non dicit cum ipsa gratia, quod autem connexionem non habet cum aliquo, sed disparate se habet ad illud, quomodo potest esse motivum, vel occasio, aut meritum ad illud ? Nisi solum ex mera voluntate Dei, cum ex natura sua ad id ordinatum non sit. Quod si est ex mera voluntate Dei, jam ibi non est meritum, sed pura gratia, sicut si ob elevationem lapidis vellet alicui dare gratiam aut salutem, esset pura gratia. Si autem ordinat ad salutem, et ad vitam æternam : ergo procedit ex auxilio divino, et ex gratuita Dei voluntate, ordinante in vitam æternam, quia gratia Dei est vita æterna, ut dicitur Rom. VI. Ergo debet illud motivum procedere ex gratia, quæ est auxilium divinum, quatenus ordinat ad salutem ; et sic non est causa, et motivum dandi omnem

gratiam, quia non est causa dandi illud auxilium, sed est effectus ejus. Et sic stat solida ratio D. Thomæ contra illos hæreticos.

XI. Dico secundo : Opera moraliter bona ordinis naturalis, neque ex pacto Christi cum Patre, neque propter auxilium datum per Christum habent infallibilem connexionem cum gratia, vel conducunt infallibiliter ad initium justificationis, et ad habendum primum effectum prædestinationis, etiamsi dicatur Deum non intuitu, et merito illius dare gratiam. Est contra allatas sententias Molinæ, et Vasquez, de quibus latius agere spectat ad 1-2, q. cxii, ubi explicari solet illud axioma : Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam : non enim intelligitur quod facienti quod in se est viribus naturæ Deus infallibiliter det gratiam ; sed facienti quod in se est ex ordinatione gratiæ.

XII. Nunc tamen breviter illa prima pars conclusionis probatur ex Concilio Arausicano II, can. VI, ubi sic definitur : « Si quis dixerit sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus, nobis misericordiam Dei conferri, non autem divinitus ut credamus, velimus, vel hæc omnia ut oportet agere valeamus per infusionem Spiritus sancti in nobis fieri constitetur, resistit Apostolo, etc. » Ubi Concilium aperte excludit illam intelligentiam, quod facienti quod in se est ex viribus naturæ, Deus non denegat gratiam, aut infallibiliter dat illam, cum tam multa opera bona numeret Concilium, quæ si fiant sine gratia, atque adeo ex viribus naturæ, non sunt ratio dandi gratiam : et tamen si tale pactum daretur inter Christum, et Patrem, ratione cujus propter illa opera naturalia Deus daret gratiam, non bene decerneret Con-

cilium in re tanti momenti, et dogmatica absolute negare, quod facientibus talia opera gratia detur, et sine ulla distinctione, si in quodam sensu de facto, et in re oppositum est verum attendendo ad pactum Christi cum Patre. Et præterea, quia facienti opera naturalia bona ex pacto Christi cum Patre datur gratia, et misericordia Dei : ergo ante gratiam nos incipimus, et postea per gratiam Dei adjuvamus posito illo pacto. Patet consequentia, quia ubi intervenit pactum inter duas personas ut hoc facienti detur illud, qui facit id quod ad se pertinet, ratione cujus debet aliud dari, jam incipit implere pactum, et ponit requisitum ex parte conditionis, ut alter compleat. Ergo si Christus fecit pactum ut facienti opera bona naturalia detur misericordia Dei, et gratia, ille qui facit talia opera, jam incipit ante gratiam, et postea per gratiam adjuvatur, et completur. Dicit autem idem Concilium citatum can. xxv : « Salubriter profitemur quod in omni opere nostro, nos non incipimus, et postea per misericordiam Dei adjuvamus. » Loquitur Concilium de omni opere nostro, utique ante gratiam, et ex naturæ viribus facto : ergo nullum est opus naturale in quo nobis sine gratia incipientibus, postea per misericordiam Dei adjuvemur ; si non per misericordiam adjuvamus, multo minus per pactum, sed gratia si adjuvat, etiam antecedit.

XIII. Dices : Sensus Concilii non est quod facto aliquo bono opere ex viribus naturæ, non detur gratia adjuvans, etiam pro alio opere, sed quod respectu unius, et ejusdem operis non est dicendum quod nos incipimus, et postea Deus adjuvat, sicut dicebant Pelagiani negantes prævenientem gratiam, et hoc est quod Concilium definit, scilicet non sufficere adjuvantem gratiam, sed

requiri prævenientem ut incipiamus.

Sed contra, quia illud pactum quod ponit Molina, non est solum ut Deus facienti unum opus bonum naturalis ordinis det gratiam pro alio, aut det gratiam pro remissione peccatorum, quia hæc remissio ratione operis naturalis dari non potest, ut de se constat, cum exigit dispositiones supernaturalis ordinis, nempe credere, sperare, diligere, pœnitere ut oportet, ut nobis justificationis gratia infundatur, quod sine præveniente Spiritus sancti gratia fieri non potest, ut definit Concilium Tridentinum sess. VI, can. III. Similiter pactum Christi non est quod posito uno bono opere naturali, detur gratia actualis, seu auxilium supernaturale pro alio : ridiculum enim est dicere esse infallibile, et ex pacto Christi statutum quod quoties aliquis operatur bonum opus naturale operabitur aliud supernaturale, cum plerumque videamus homines peccatores, imo et justos facere aliquod opus pietatis, et moraliter bonum, nec postea facere aliud opus supernaturale. Et præterea incredibile est quod Christus ita æstimaverit opera naturalia, quod posito aliquo opere ex illis fecerit pactum, et obligationem dandi gratiam pro alio faciendo opere supernaturali, et non fecerit pactum quod posito aliquo opere supernaturali quod excellentius est, detur gratia pro alio opere supernaturali : alias majus commodum reportaret aliquis ex minori, et imperfectiori opere, et consulendus esset aliquis, ut securam haberet gratiam, quod potius exerceretur in operibus naturalibus bonis. Quod si etiam pro quolibet opere supernaturali fecit Christus istud pactum ut gratiam haberet pro alio, qui semel habuit opus supernaturale, non posset jam carere talibus operibus, nec decidere a fide usque

ad mortem. Patet, quia posito hoc opere, est pactum quod detur sibi gratia ad aliud : ergo etiam posito illo alio est pactum quod pro alio sibi detur gratia, et sic de reliquis, quia pro omni opere est tale pactum, et quodlibet opus supernaturale debet regulari per fidem : ergo non posset deficere a fide, qui semel habuit opus supernaturale. Restat ergo quod illud pactum non intelligitur, neque de danda gratia remissionis facienti quod in se est tantum ex viribus naturæ, neque de danda gratia supernaturali pro alio opere habendo, et consequenter intelligitur quod facienti quod est in se, id est, conanti, et incipienti facere quod potest, Deus dat gratiam, et misericordiam ut tale opus perficiat. Contra hoc autem directe loquitur canon relatus Concilii Arausicani : ergo destruit, et evacuat illud pactum Molinæ, et id quod tacite sub Molinæ dicto continetur, scilicet quod respectu ejusdem operis facienti, et conanti ex viribus naturæ Deus ex pacto adsit per gratiam ; quod valde oportet advertere.

XIV. Denique, non constat ubi tale pactum firmatum sit, et factum a Christo, unde omnino fingitur, nec nobis licet pactum asserere, si revelatum nobis non est. Non esse autem revelatum constat, quia non adducitur locus, ubi sit revelatum : quod enim adducit Molina ex illo Joan. I : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, nec leviter insinuatur, quod dedit hanc potestatem operantibus ex viribus naturæ, sed : *His qui credunt in nomine ejus*, ut ibi dicitur. Supponit ergo potestas ista fidem, non antecedit, atque adeo datur operantibus ex fide supernaturali, non ex viribus naturæ, et liberi arbitrii. Unde dicit Augustinus lib. I contra duas epistolas Pelagianorum, c. III : « Datur ergo potestas ut filii Dei fiant qui credunt in eum,

cum hoc ipsum datur ut credant in eum. Quæ potestas nisi detur a Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio. » Si ergo datur ipsa potestas, cum credunt in eum, et nulla est ex libero arbitrio, quomodo Molina dicere potest contineri his verbis pactum Christi cum Patre dandi gratiam his, qui ex viribus naturæ bene operantur ?

XV. Contra Vasquez autem eodem modo probatur secunda pars conclusionis, quia etiamsi auxilium detur per Christum, si est ad opus morale ordinis naturalis, tamen illud opus fit vigore naturæ, non viribus gratiæ, si quidem hoc quod est dari per Christum, non elevat illa opera ultra ordinem naturalem : nec enim facit illa esse supernaturalia, sed intra ordinem naturæ manent, et consequenter non excedunt vigorem naturæ : fiunt ergo vigore naturæ, licet concursus, et auxilium illud naturale detur per Christum : esse enim per Christum datum, non tollit illa esse ordinis naturalis, nec excedere vigorem naturæ, alias si essent ordinis supernaturalis, essent ex principiis supernaturalibus, et non essent ordinis naturalis, ut præsupponimus. Dicit autem Concilium Arausicanum II, can. VII : « Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitare ut expedit posse confirmat, absque illuminatione, et inspiratione Spiritus sancti qui dat omnibus suaviter in consentiendo, et assentiendo, hæretico fallitur spiritu. » Unde sumitur argumentum : Illa opera ordinis naturalis facta per auxilium datum per Christum, vel conducunt, et pertinent ad salutem, et ad exordium justificationis, vel non. Si non pertinent, nec conducunt, nihil ad præsens ; et intentum habemus, quod opera naturalia etiam auxilio dato per Christum, nihil juvant ad gratiam,

et justificationem. Si pertinent, et conducunt : ergo possumus per naturæ vigorem aliquid cogitare quod pertinet ad salutem vitæ æternæ, quod negat Concilium : idem enim est conducere ad vitam æternam, et pertinere : ad id enim aliquid pertinet ad quod ordinatur. Fiunt autem per naturæ vigorem etiamsi fiant auxilio dato per Christum, ut ostensum est, quia dari per Christum non extrahit illa ab ordine naturæ, nec supra vigorem naturæ ponit, sed illud ipsum, quod naturale est, dependenter a Christo dicit causari, tamquam a Christo, ut a causa efficiente, vel merente datum : ergo semper verificatur quod opera facta ex naturæ vigore, seu non supra ipsum, pertinent ad salutem vitæ æternæ sine illuminatione Spiritus sancti sed cum illuminatione luminis naturalis ante fidem : illuminatio enim Spiritus sancti illuminatio fidei est, atque adeo supernaturalis. Nec potest dici quod illa opera naturalia deserviunt, non ut dispositiones ad justificationem, sed ut removementia obstaculum, et impedimentum ad gratiam, quia videlicet minus induratum est cor, quod bonis operibus exercetur. Contra enim est, quia, ut dicit S. Thomas ad Hebr. XII, lect. III, hoc ipsum quod est removere obstaculum, est ex gratia Dei. Et sumitur ex Augustino libro de prædestinatione sanctorum, c. VIII, ubi ait : « Hæc gratia a nullo duro corde respuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur ; » ergo tolli duritiam, seu obstaculum cordis ex gratia est, cum ad hoc tribuatur. Et ratio est, quia obstaculum et duritia cordis non removetur per hoc solum, quod quis negative se habeat, et cesset a peccando, vel ab operando totaliter, aut quod aliquod opus bonum ex particulari fine agat, sed per hoc quod aliquis cogitet, et moveatur circa ea

quæ ad salutem pertinent. Cogitare autem quæ pertinent ad salutem non potest haberi ex vigore naturæ, ut dicit Concilium : ergo nec tollere obstaculum.

XVI. Confirmatur hoc idem ex loco allato contra Molinam ex canone sexto ejusdem Concilii, ubi tam multa opera bona numerantur, sicut est credere, velle, desiderare, conari, laborare, vigilare, petere, etc. quibus tamen docet misericordiam Dei non conferri, sed illa omnia divinitus fieri debere in nobis per infusionem Spiritus sancti : ergo etiamsi ista fiant ex viribus naturæ ante infusionem Spiritus sancti nihil conducunt ad gratiam, et justificationem. Denique, hoc idem deducitur ex Tridentino sess. VI, cap. VIII, ubi docet quod : « Prima radix, et initium justificationis est fides. » Et capite V, quod : « Exordium justificationis in adultis sumitur a præveniente gratia Dei per Christum, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur. » Ergo opera quæ antecedunt fidem, et vocationem gratiæ, sed sunt mere naturalia, non conducunt ad talem justificationem, nec quidquam ad illam conferunt. Patet consequentia, quia id quod juvat, aut confert ad justificationem, aliquod initium ei præbet, alias nullo modo ad eam conferret, aut juvaret, si aliquo modo non disponderet, dispondere autem est initiare ad formam. Neque hoc negat Vasquez qui disputatione illa cxc, num. cxv, dicit quod non solum ista bona opera conducunt ad justificationem tamquam removementia impedimentum, sed quod ad illam obtinendam non alio modo quam merito suo conducunt. Et numero cxxxii, inquit, Concilium Tridentinum non negare quod in aliquibus præcedunt bona opera ante fidem ex gratia Christi, a quibus exordium justificationis sumatur, quia

tamen hoc exordium in omnibus necessarium non est; ideo Concilium illius mentionem non facit. Solum ergo, inquit, voluit Concilium ostendere fundamentum nostræ justificationis, a quo ut minimum justificatione necessario incipere debet, scilicet a fide, licet etiam incipere possit ab aliis operibus ante fidem, sed non necessario. Cæterum quis non videat hanc solutionem Vasquez violentiam inferre verbis Concilii, imo viam sternere ut doctrina patrum adversus Semipelagianos enervetur? Et urgeo contra illum verba Concilii sess. vi, c. viii, ubi inquit quod: « Ideo per fidem justificari dicimur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis. » Si est radix, et initium omnis justificationis, et salutis humanæ: ergo non est aliqua justificatio cujus fides non sit initium, fundamentum et radix, quia ly omnis, totum complectitur: sed per te potest dari aliqua justificatio, cujus initium sint aliqua bona opera ante fidem, licet non requiratur de necessitate tale initium, sed sufficiat initium fidei: ergo non omnis justificationis est initium, et fundamentum fides, cujus contradictoria propositio est illa a Concilio definita: « Omnis justificationis est initium, et fundamentum fides. » Nec potest glossari, seu restringi illa universalis posita a Concilio, quod sit fides initium omnis justificationis, non de necessitate, sed sufficienter, vel ad minus, quia in his propositionibus dogmaticis non licet glossas, vel restrictiones inducere: sic enim nihil certi habebimus in definitionibus universalibus, et per propositiones universales factis, si licet illas restringere, et secundum glossas superadditas intelligere.

Et confirmatur, quia quælibet justificatio quæ fit per gratiam supernaturalem, computari debet inter

res sperandas a nobis, quia gratiam et gloriam sperare debemus a Deo, et remissionem peccatorum speramus; per quam fit justificatio: sed juxta Apostolum ad Heb. xi: *Fides est sperandarum substantia rerum*; ergo quæcumque opera fiant ante fidem non præbent initium, fundamentum, aut substantiam rei sperandæ, qualis est justificatio, quantumcumque detur per auxilium Christi.

Denique, enervari per hanc doctrinam probationes patrum, et Conciliorum contra Semipelagianos ex eo patet, quia patres docent non solum bona opera esse ex gratia Dei præveniente, sed etiam quæcumque bona initia, et desideria esse ex gratia, et non ex viribus naturæ, etiam ipsam primam cogitationem ad justificationem ordinatam; sed posita hac doctrina Vasquez omnes istæ probationes evanescent, quia posset dicere hæreticus omne initium justificationis ad minimum esse a gratia, non tamen repugnare quod sit ab aliquo intercedente gratiam, scilicet ex opere naturali, licet facto per auxilium Christi: de hoc enim non multum litigarent Semipelagiani quod concursus ille daretur per Christum, dummodo ex vigore naturæ, et viribus liberi arbitrii sit. Nec ipsi recusarent dicere quod aliquando sit a gratia, sed non semper, nec necessario: aliquando enim Deus, ut ipsi dicebant, et videri potest Cassianus citata collatione xiii, videt in nobis boni desiderii scintillam quam fovet, et auget, et gratia sua aliquando subito nos ad se trahit, sicut fecit in Paulo. Et sic suffiebat ipsis quod aliquando initium justificationis sit a nobis, de quo videri potest S. Prosper contra Collatorem, c. xiii. Ergo juxta doctrinam Vasquez simpliciter fatendum est quod aliquando initium justificationis a nobis sit, licet non semper,

nec necessario, quod nullo modo potest admitti.

NON INCIPIT A NOBIS EFFICACIA PRÆ-
DESTINATIONIS.

XVII. Dico tertio: Providentia divina in ordine supernaturali ut reddatur prædestinativa, id est, efficax, et consecutiva gloriæ, quæ est specialis pro prædestinatis, non id sumit ex cooperatione, et consensu nostro præviso, et præsupposito, sed ex divina voluntate efficaci id habet, et in vi causalitatis suæ; et sic nostra cooperatio non est causa, sed effectus prædestinationis, et supponit ejus efficaciam, non eam præbet nec ex illa sumitur. Hæc conclusio est contra Molinam locis supra relatis, et qui eum sequuntur, quam sententiam, et verba Molinæ, quibus eam docet, retulimus præcedenti tomo, disp. xx, art. iv, referendo inconvenientiam scientiæ mediæ, quorum unum, et non ex minoribus est, quod providentiam communem, et generalem pro reprobis, et prædestinatis, specialem et prædestinativam reddit non ex ipsa efficacia electionis, et causalitatis divinæ, ut a Deo descendit, sed ex denominatione sumpta a consensu nostro, et determinatione voluntatis nostræ prævisa, quam Deus supponit cognitam, et determinatam ante omne decretum suum. Ubi etiam adduximus expressum locum S. Thomæ q. vi de veritate, art. iii, ubi e diametro opponitur sententiæ Molinæ, ubi sic inquit: « Non potest dici quod prædestinatio supra certitudinem providentiæ nihil aliud addit, nisi certitudinem præscientiæ, ut si dicatur quod Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut et quemlibet alium, sed cum hoc de prædestinato sit, quod non deficiet a salute: sic enim dicendo, non di-

ceretur prædestinatus differre a non prædestinato ex parte ordinis, sed tantum ex parte præscientiæ eventus; et sic præscientia esset causa prædestinationis, nec prædestinatio esset per electionem prædestinatis, quod est contra auctoritatem Scripturæ, et dicta sanctorum. Unde præter certitudinem præscientiæ, ipse ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem. » Ita D. Thomas. Quem locum ibi late ponderavimus, et rejecimus solutiones quas illi adhibet Molina tamquam incongruentes. Nec potest dici retractasse D. Thomam in hac prima parte id quod in prædicto loco asseruit, cum omnino concordet huic loco id quod affirmat in hac quæstione xxiii, art. vi et vii. Nusquam autem salvat Molina id quod tam aperte docet S. Thomas, scilicet quod certitudo seu infallibilitas prædestinationis supra providentiam communem qua Deus etiam non prædestinatum ordinat ad salutem, non solum est certitudo præscientiæ, sed etiam ordinis ipsius prædestinationis. Præscientia autem condistincta contra ordinem est præscientia ejus quod a Deo supponitur prævisum, non ex decreto ejus causatum: quod enim ex decreto causatur, ex ordine seu ordinatione Dei causatur; et sic non est sola certitudo præscientiæ, sed etiam ordinis. Et individualiter rejicit D. Thomas hoc quod est prædestinationem Dei habere certitudinem ex illa præscientia, qua Deus videt hunc prædestinatum non deficere a salute habendo circa illum eandem providentiam generalem, quam circa non prædestinatum. Quod est individualiter rejicere sententiam Molinæ, quod communis providentia dans æqualia auxilia reprobis, et prædestinatis, fiat prædestinatio per hoc quod præsciat illa scientia mediæ, quæ non oritur ex decreto aut prædestinatione, istum non defecturum.